



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quandò irasci sit sine peccato, & quandò cum peccato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

sine causa gerit gladium : minister Dei est ad vindictā malefacienti &c. Ideò senatus mādato Dei & eius auctoritate punit malefactores: nā Deus dicit Deut 32. Mihi vindictā, & ego retribuam, id est, Dei est vindicta quam magistratus legitimè exercet, Priuata, verò vindicta quæ fit sine auctoritate magistratus, prohibita est: sic enim inquit Christus Matt. 5. non debetis resistere malo, scilicet si te quis percusserit in maxillam vnā, præbe ei & alterā: & qui te cogit ad vnum milliare, vade duo cum illo: & benefacite inimicis vestris, &c. Nos igitur patientiā habere debemus, & pati iniuriam, sed non vlisci nos ipsos, Rom. 12. Deus hoc commisit potestati, quæ si nō punierit iniustitiam, ve illi. Publica ergò vindicta Dei præcepto per magistratum fieri licet & debet: & habet hæc publica vindicta legitima multas partes, id est, iudicia, bella, defensionem aduersus latrones, supplicia maleficiorum legitima &c. hæc enim omnia concessa sunt Christianis, quia magistratus est res bona & diuina ordinatio, vt patet Rom. 13. Omnis potestas à Deo est. Tales exiterunt in officijs & imperijs suis Ioseph, Dauid, Iosue, Centurio, & multi alij sancti principes. Verùm magistratus debet legitimam & secundum leges exercere vindictam mali. Si enim sine legum auctoritate, priuata quadā cupiditate vteretur, seu quouis alio modo læderet aut vim inferret, hoc ad priuatam attineret vindictam, & esset grande peccatum.

3.

Tertiò, quia aliud est irasci propter gloriam Dei, & amorem iustitiæ, & aliud ex priuata cupiditate, vt quandò nobis commoda nostra eripiuntur & interturbantur voluptates, ideò peccatum iræ intelligitur. Sed quandò fit studio defendendæ gloriæ DEI aut iustitiæ vel aduersus impietatem & turpitudinem, hic zelus & ira placet Deo, & non est peccatum. Sic Phinees promittitur sacerdotium propter zelum gloriæ DEI, & contra impietatem, Numerorum xxv.

& 4.

& 4. Regum 10. laudatur Iehu, qui inquit, vide zelum meum pro Domino, & Psal. 68. zelus domus tuæ comedit me, id est, exarsi magno impetu defendendę domus tuæ. & 3. Regum 19. inquit Helias: Zelo zelatus sum & cæt. & Dauid inquit Psal. 138. Perfecto odio oderam illos. Sic quoquę Prophetę sæpę maledicunt impijs: & sic in heroicis viris reperitur talis impetus & zelus defendendę iustitię & puniendę turpitudinis, reipublicę tuendę, & c: & plurimũ commendantur. At ira priuata & exarsio cupiditate vindicandi, hæc peccatum est, & contra Dei præceptum Dilige proximum tuum sicut teipsum. Et Christus Matth. 5. iram refert ad hoc præceptum, Non occides vbi prohibet priuatam iram. Non solũ igitur manus aut gladius prohibetur hoc præcepto, sed etiam animus, ira, odium nocendi, maledicentia, detractio, delectatio in miserijs aliorum. Verbis & cõsilijs claudis destinis promouere cædes, bella, simultates, & punitiones aliorum, seipsum vlcisci verbo & facto. Omnia hæc deus grauissimẽ punit, & scriptura dicit Ecclesi 28. Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit. Igitur priuata ira & vindicta, est grauissimum peccatum.

CAP. XIII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit vera reconciliatio proximi, quam Deus exigit.*
2. *Quòd illa Deo plũs placeat, quàm munus, id est, opus etiam quodcunq;.*
3. *Quale habeat premium reconciliatio.*



Era reconciliatio proximi, est perfecta cordis condonatio offensę illi qui offendit: Est autẽ perfecta & integra condonatio, est & falsa & imperfecta. ali.